



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvscvla Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis

Marca, Pierre de

Parisiis, 1681

Hilarii locus ex fragmentis illustratur, in quo de Photino agit ac synodis contra eum factis. unde pleraque eorum probantur quae iisdem de rebus observavimus. Capvt III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14704

494 D I O N. P E T A V I I
sua tenuisset , quis dubitat quin Sirmii ,
quæ urbs occidentalis erat imperii , habi-
tam synodum frequentiores ex occidente
celebraturi fuerint Episcopi ? quemadmo-
dum Arimini postea factum , & antea ,
Sardicæ. Atque hoc non leve est argu-
mentum quo Magnentianis temporibus
indicta illa synodus ostenditur.

*Hilarii locus ex fragmentis illustratur , in quo
de Photino agit ac synodis contra eum fac-
tis. unde pleraque eorum probantur que iis-
dem de rebus observavimus.*

C A P V T I I I .

CV M ex Hilarii potissimum frag-
mentis expressa sint ea quæ de
Photini damnatione synodisque contra
ipsum habitis capite primo docui , vi-
sum est ipsius locum integrum hic ex-
scribere , ut singulorum probationes in
promptu habeantur ; quibusdam addi-
tis scholiis , quibus velut radiis illustra-
tus , planus legentibus ac facilis occur-
rat : quem alioqui desperatæ obscurita-
tis esse , ac neque verbis neque senten-
tiis cohære , docti quidam homines ar-
bitrati sunt.

HILARIUS.

Supereſt ut quid de Marcello & Photino geſtum ſit, pauciſſimis dicam. Photinus Sir-
mienſis Epiſcopus fuit à Marcello imbutus. Pag. 23.
edit. Paris.
anni 1598.
Nam & Diaconus ſub eo aliquandiu fuit. Hic
corruptis innocentiae moribus ac diſciplinis, tur-
bare evangelicam veritatem perſiſtebat novis
praedicatibus. Et hoc ita ſaepe eſt, ut cum in-
crementa vitiorum detrimenta in amore Dei
fecerunt, veſanum depravatae ſcientiae ſtudium
increſcat. ^a Igitur ad tollendum ex epiſcopatu
Photinum, qui ^b ante biennium jam in Me-
diolanenſi ſynodo erat haereticus damnatus, ex
plurimis provinciis congregantur ſacerdotes,
^c hoc magis ſoliciti atque anxii, turbari rur-
ſum miſcerique omnia, quod jam pridem plures
Epiſcopos reos vel falſorum in Athanaſio ju-
dicatorum vel communionis haereſis Arrianae ab
Eccleſia fuerat neceſſe reſecare. ^d Quam op-
portunitatem naſti Urfacius & Valens, Ro-
manae plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Ec-
cleſiam deprecantur, & in communionem per-
veniam admitti rogant. Iulius ex conſilio ve-
niam, quam orabant, impertit, ut cum lucro
catholicae Eccleſiae, vires quoque detraheret
Arrianis, cum eos qui unitatem ante turbave-
runt conſilii huius & audaciae paenitentes in
communionem catholicam per veniam reconci-
latae pacis admitteret. Et quia non eſt niſi de

*veritate confessio, nisi de vitio pœnitentia, nisi
venia de admissio, Valens & Ursacius admit-
tendi, ut orabant, in communionem, de Atha-
nasti innocentia, de iudicii falsitate, de Arriane
hæresis piaculo talibus literis antè profitentur.*

Sequitur libellus quem suapte manu Va-
lens perscripserat, & Ursacius subscrip-
serat, Iulio Papæ oblatu.

P E R G I T H I L A R I V S.

* *Hæc epistula post biennium missa est quàm
hæresis Photini à Romanis damnata est.*

Sequitur libellus alter Valentis & Ursacii
post aliquantum temporis à superiore
ad Athanasium & Episcopos missus.

H I L A R I V S.

*Superioribus igitur literis datis venia indul-
getur, orantibus reditus ad catholicam fidem
cum communionem donatur; maximè cum Sar-
dicensis synodi veritatem ipsæ orantium veniam
literæ continerent. ^f Verùm inter hæc Sirmium
convenitur. Photinus hæreticus comprehensus,
olim reus pronuntiatus, & à communionem jam-
pridem unitatis abscissus, nec tum quidem per
factionem populi potuit * admoveri. ^g Sed idem
Athanasius Marcellum, qui post recitationem
libri quem scriptum ediderat (nam hunc quoque
nos*

* cor. amo-
veri, vel
abmoveri.

nos habemus) sententia synodi Sardicensis episcopatus erat redditus , ubi quaedam alia nova miscere sensit , & ambiguis prædicationibus ejus in quam Photinus erupit doctrinæ viam quærere , à sua communione separavit anteriore tempore quàm Photinus arguitur , præventam judicio meditationem corruptæ voluntatis ostendens , & non ex libri editione condemnans . Sed quia promptum est ex bono malum efficere , præbuit non illis in Marcellum quæ gesta antea fuerant , sed his quæ in Photinum gerenda erant , auctoritatem . Illud autem esse cognitum cunctis oportet , nullam unquam adversus Marcellum , præter eam quæ Sardicensibus est dissoluta sententiis , deinceps synodum fuisse contractam , ⁿ neque huc unde Photino decretum ab occidentalibus est , & ad orientales est relatum , aliquod in eum expressum fuisse iudicium . Sed homines mente callidos , ingenio subtiles , malitia pertinaces occasionem revolvendi ejus quod Athanasii absolutione est dissolutum quæsvisse iudicii , & rescribentes de Photino , Marcelli mentionem , velut institutionum talium magistri , addidisse , ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem & veritatis iudicio consepultam in publicam recordationem causæ novitas excitaret , & subrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret . Extat autem in superiore epistolæ corpore , Marcellum ab Arrianis occasione libri

quem de subjectione Domini Christi ediderat, unà cum Athanasio fuisse damnatum. Docetur etiam recitatione ejusdem libri innocentem deprehendi: falsitatem quoque judicii Arriani, extantis adhuc libri fides arguit. ¹ De Photino autem, sicut mos poscebat, ad orientales epistulae fiunt, non injuria extorquendi, ut nunc agitur, ad sensum, sed instruendae universorum scientiae consuetudine. Sed cur abnegate Marcello communionis Athanasius reus esse rescribitur? Numquid propter libri vitium Marcellus abstentus est? Testes ipsi sunt ex institutis ejus Photinum perverſitatis istius iniuria sumpsisse. Nam negata sibi ab Athanasio communionem, ingressu sese Ecclesiae Marcellus abstinuit. Ita communio cum eo in ista fide de subjectione traditione regni docet* negata rursus pravitate doctrinae alterius ostendit. At sic utrumque viri istius iudicium caret culpa, cum in data communionem synodi sit affectus assensum, in abnegata verò, ipso se Marcello abdicante solo, sine ulla synodi auctoritate.

S C H O L I A.

¹ I G I T U R ad tollendum] Hic Sirmienſem synodum intelligit priorem à catholicis obitam, utpote cujus oportunitatem consecrati Valens & Ursacius ad Ecclesiam redierunt, oblatis libellis tam Iulio Papae quam Athana-

ſio. Id autem fecerunt anno Chriſti cccxljx. paullo ante Constantis obitum, qui ineunte ccccl. accidit. Atque Sirmiſſis ſecunda non ante annum ccccli. celebrata eſt. Diverſa igitur ab hac illa fuit eodem in oppido peracta.

^b *Ante biennium.*] Ergo anno cccxlvii. brevi poſt Sardicenſem tempore, & eodem anno. Mediolanenſis autem iſta perperam cum altera confunditur quæ anno cccclv. ab Arianis Conſtantii auctoritate fretis eſt habita: in qua complures Epifcopi catholici relegati ſunt, & inter alios Liberius Papa. Contigit autem ut & Mediolanenſis una ſynodus biennio ante Sirmiſſem priorem fieret & poſt Mediolanenſem alteram, biennio itidem Sirmii conventus Epifcoporum aliquot haberetur, non contra Photinum, ſed ad novam fidei condendam formulam, quam Sirmiſſem de tribus ſecundam eſſe demonſtravimus. Quæ res nonnullis impoſuit ut Sirmiſſes plures ſynodos in unam conflarent, Mediolanenſes itidem plures in eandem Mediolanenſem.

^c *Hoc magis ſoliciti*] Ergo catholici erant, non Ariani, ut in ſecunda Mediolanenſi.

^d *Quam opportunitatem naſti*] Florentibus catholicorum rebus, & Athanaſio Conſtantis opera reſtituto, Valens & Vrfatius ad Eccleſiam redire conati ſunt, primùm poſt Sardicenſem ſynodum, ubi damnati erant, oblato libello in Mediolanenſi catholicorum ſynodo, deinde Romæ, Julio Papæ. quod ex ipſorum epiſtola priorè ad Iulium data & Athanaſii apologia ſecunda colligitur.

^e *Hæc epiſtola*] Falsò hæc Hilarii verba referas ad tempus illud quod poſtremam Sirmiſſem

fem synodum, in qua depositus est Photinus, excepit; præsertim si ea anno cccclvii. facta est. Nam neque à Romanis in ista damnatus est, sed ab orientalibus & hæreticis; neque post eandem Ursarius ac Valens respuisse ac libellos istos dedisse leguntur. Adde Iulium Papam, cui prior libellus porrectus est, anno ccccli. decessisse. Biennio ergo post Mediolanensem priorem, uti primo capite interpretati sumus, ad Ecclesiam reditum impetrarent.

^f *Verum inter hæc*] Redit ad inchoatam paulò antè narrationem de Sirmiensi synodo *ad tollendum ex episcopatu Photinum*, quam interposita Valentis & Ursarii historia nonnihil abrueperat. In ea synodo priore Sirmiensi damnatus est Photinus; sed episcopatu pelli minimè potuit, quòd propter eruditionem & facundiam, qua in utraque lingua pollebat, vulgo esset acceptus. Hoc est quod ait, *per factionem populi amoveri non potuisse.*

*Pag. 518.
Tom. 1. Ath.
edit. Com-
mel.*

^s *Sed idem Athanasius*] Huic historiæ suffragatur Severus Sulpicius libro 11. Sed mirum videtur Athanasium nihil in libris suis ejusmodi de Marcello significare. Nam eum potius ubique sublevar, & ab Arianis immeritò ac per calumniam accusatum esse contendit; ut in apolog. 1. & in epist. ad Solitarios. Verum in ^a oratione quadam, cujus inscriptio est *Quod unus sit Christus*, Marcellum cum Paulo Samosateno jungens ideo reprehendit quòd Christum nudum hominem esse dixerit ac servum, nec adoratione dignum. Sed oratio ista, meo quidem judicio, Athanasii non est. Nam & stilus ipse ab Athanasiano diversus est, ac multò elegantior. tum apertè hypostases in Trinitate tres agnos-

cit, quibus quartam à Marcello & Samofateno adjectam queritur hominis Christi, Atqui sapius unicam in divinitate hypostasim tuetur Athanasius, Postremò, quod ad rem magno-pere facit, Athanasii epistola ad Solitarios, in qua Marcellum luculenter excusat, eique catholicæ fidei testimonium præbet, multò posterior est eo tempore quo Marcellum eundem ab Athanasio communione multatum Hilarius ac Severus indicant. Quippe post Liberii relegationem lapsunque scripta est, hoc est, post annum **CCCLVII.** qui undecimus fuit à Sardicensi synodo. Epiphanius hæresi **LXXII. n. IV.** refert percontanti sibi aliquando de Marcello quid sentiret, Athanasium dubiè respondisse, ac ne respondisse quidem, sed nutu solo ac risu levem de eo suspicionem indicasse. quo sanè contentus esse non potuit, si eum aliquando propter hæresim communione sua privasset. Quocirca valde mihi perplexa videtur, credo & prudenti cuivis, ista Hilarii & Sulpicii narratio. Quæ si vera est, tum illa sanè Athanasii in Marcellum animadversio medio tempore Sardicensem inter & Sirmiensem priorem tempore accidit, hoc est, inter annum **CCCXLVII.** & **CCCXLIX.** In eo verò laborat Hilarius, ut ab Athanasio damnati Marcelli invidiam repellat, Etenim quòd unà cum ipso in integrum restitutus erat in Sardicensi synodo, ac subinde tamquam hæreticum ab communione segregasset, Sardicensis auctoritatem visus est minuere; quemadmodum postea ob tria capitula ab Iustiniano & Quinta synodo damnata Calchedonensis synodus labefactari visa est & ejus acta rescindi. Quæ res catholicos plerosque contra Constantinopolita-

nam illam synodum armavit. Eiusdem enim generis utraque fuit quaestio. Sed Hilarius negat eadem de causa damnatum ab Athanasio fuisse Marcellum ob quam ab Arianis primo depositus, ab Sardicensi deinde restitutus erat. Verum illic de libro quodam ab eo contra Asterium edito controversiam omnem extitisse, quem Ariani deteriorem in partem acceperant, Athanasium vero propter quaedam privatim, ac citra librum illum, ab eo sparsa, quae occultum virus redolerent, eundem ab communione rejecisse.

^h *Neque huc unde Photino*] Sirmiensis prioris synodi patres nihil contra Marcellum decreverant, ulla vel levi suspitione perstrinxerunt. Sed orientales ipsi acceptis occidentalium literis, ita quod contra Photinum actum illic erat approbarunt ut cum Photino etiam Marcellum eadem damnatione conjungerent; quo sibi viam munirent ad opprimendum Athanasium, qui in eadem cum illo causa esse videbatur, utpote damnatus cum eo pariter in Constantinopolitana synodo, & in Sardicensi restitutus.

ⁱ *De Photino autem*] Notetur hic locus. Nam Sirmiensis prioris synodum aperte & ab occidentalibus celebratam, & iis catholicis, ostendit.

Hæc ad Hilarii verba commentari volumus, ex quibus appareret consequentem illius esse loci sententiam, neque mutilum hunc & inextricabilem videri, ut quidam existimant.